



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. j

I. N. J.
DISPUTATIO II.
**SELECTARUM
THESIUM
JURIS CERTI & CON-
TROVERSI**

Ex Tit. j. d. J. & J. & d. I. N. G. & C. eisq; ff.
C. Just. Theod. Libb. βασιλικ. & ✕.
Titulis Respondentibus.

Quam
P R Æ S I D E
**JOHANNES CHRISTO-
PHORO Volk /**

J. U. D. & P. P.
CHRISTOPH. Wegner /

Regiom. Prusl.
RESPONDENS
publicè defendet

IN AUDITORIO MAJORI
A. clb. lbc. LXXX.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.
BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.

INCLYTÆ
LOEBNICENSIS, IN REGIO PRUSSORUM
MONTE, REIPUBLICÆ PATRIBUS,
VIRIS

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS
ET LONGO RERUM USU AC EXPERIENTIA
CLARISSIMIS

DOMINIS,

DN. CONSULI,
PRO-CONSULI,
COETERISQUE
SENATORIBUS,

Nec non

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO

Eorundem

SECRETARIO,

Ut &

Venerabilis Consistorii Sambienfis Advocato
Ordinario, Vigilantissimo,

DOMINIS MOECENATIBUS, FAUTORIBUS

ATQ; PATRONIS

Omni honoris atq; reverentiæ cultæ æternùm
prosequendis, primitias hæc Academicas,
in devotissimæ mentis tesferam ac studio-
rum suorum ulteriorum promotionem, eâ,
quâ par est, animi submissione

Offert, dedicat atq; consecrat

CHRISTOPHORUS Wegner.



Nstitut: Tit: 1. d. J. & J. & Tit. 2. d. I. N. G. & C.
 respondent Tituli ff. d. J. & J. d. O. J. d. Legib:
 SCT. & long. Conf: Tituli C. Justin: de Legibus &
 Constitutionibus Principum & Edictis. Quæ sit long.
 Confv: de mandatis Principum. de Senatus Consul-
 tis. De veteri Jure enucleando & de Auctoritate
 Jurisprudentium, qui in Digestis referuntur: Ti-
 tuli C. Theod. de Constitut: Princ: & Edictis. De diversis Rescriptis.
 De mandatis Principum. De responsis Prudent. d. long. Confv. Tituli
 βασιλικῶν. De Justitia & Jure & Longâ Consuetudine. De Princip. &
 Prec. Pr. Obl: & Constitutionibus & Rescriptis eorum. Titul. 4. d.
 Constitutionibus. De Rescriptis. De Consuetudine.

II. In his Titulis continetur (1.) *Finis Jurisprudentiæ* qui
 est *Justitia* pr. j. d. J. & J. l. 10. pr. ff. eod. l. 10. pr. βασιλικ. eod. (2.)
Definitio Jurisprudentiæ §. 1. j. d. J. & J. l. 10. §. f. ff. eod. l. 10. §. 2.
 βασιλικ. eod. (3.) *Principia Juris* habentur in §. *Juris* j. d. J. & J. l. 10. §. 1.
 ff. & βασιλικ. eod. (4.) *Divisio juris* in publicum & privatum §. *hujus*
 j. d. J. & J. l. 1. §. *hujus*. ff. eod: l. 1. βασιλικ. eod: (5.) *Fontes J. C. R.*
 (1.) Est *Jus naturale* pr. j. d. J. N. G. & C. l. 1. §. *Jus Naturale* de j. &
 J. l. 1. βασιλικ. eod: (2.) *Jus Gentium* §. *Jus autem* j. d. J. N. G. & C.
 l. 1. §. f. & l. 9. ff. d. j. & J. l. 2. βασιλικ. eod. (3.) *Jus Civile* §. 1. j. d.
 J. N. G. & C. l. 6. pr. & l. 9. d. j. & J. l. 6. 7. & 9. βασιλ: eod. (6.) *Di-*
visio J. C. R. in *Scriptum* & *non scriptum* §. *Constat* j. d. J. N. G. & C.
 l. 6. §. f. ff. d. J. & J. l. 6. βασιλικ. eod. *Species Juris Scripti* ima.
 est *Lex* §. *Lex*. d. J. N. G. & C. l. 1. ff. d. *Legib.* l. 13. & seq. βασιλ: (2).
SCTum. §. *SCTum* j. d. J. N. G. & C. l. 2. §. *deinde quia* ff. d. O. I.
 l. 1. C. d. SCT: l. 20. βασιλ. d. J. & J. (3.) *Plebiscitum* §. *PSC:* j. d.
 J. N. G. & C. l. 2. §. *deinde cum esset* ff. d. O. I. (4.) *Jus Prætorium*
 seu *honorarium* §. *Prætor.* j. d. J. N. G. & C. l. 7. §. 1. l. 8. & 11. ff. d.
 J. & J. (5.) *Principum Constitutiones* quæ *Legis vim* habent.
 §. *Sed & quod* j. d. J. N. G. & C. t. t. ff. de *Constit.* l. 3. l. 8. & l. 12.
 pr. C. d. *Legib. & Constitutionibus Principum & Edictis* & seqq. d.
divers. Rescr. & Mandatis Princip. C. Theod: Tit. d. *Principibus*

Βασιλιν: r. r. d. Constit. & Rescr. Princ: (6.) Responfa Prudentium
§. Responfa j. d. J. N. G. & C. Jus non Scriptum est idem quod Con-
suetudo §. Sine Scripto j. d. J. N. G. & C. l. 32. & seqq. ff. d. Leg. SC.
& long. Consu. r. r. C. Just. Quae sit longa Consuetudo t. t. C. Theod:
d. long. Consuet: l. 41. §. 1. & seqq. l. pen. & ult. Βασιλιν. d. J. & J. &
long. Consu. r. r. d. de Consuetud:

III. De incunabulis variisque Derivationibus *Justitiae* an *Jus*
à *Justitia*, aut *Justitia* à *Jure* descendat? non sumus solliciti, prole-
taria enim haec sunt, & nihil aliud quàm circa corticem versari, nec
nucleum desiderare. Res itaque ipsas aggredimur. Ulpiani Defini-
tio reprehenditur quia (1.) ut Hottom. *ad pr. j.* & Vultejus *ibidem*
n. 5. statuunt competit Divinae *Justitiae*. Sed hi confundunt diversos
considerandi modos cum *justitia* ipsa, licet enim ea ut Divina consi-
derari queat five ejus originem spectes l. 2. *D. d. Legib.* five Res l. 1.
§. 2. ff. d. J. & J. arg. l. 2. §. 6. d. O. I. t. t. d. *Summ. Trin. N. 5. 42. 58. 115.*
c. 3. Balduin. *ad §. 1. j. d. J. & J.* Brisson: l. 4. *Select. Antiq. c. 16.*
Inde tamen nequaquam sequitur *Justitiam* Divinam esse definitam
Imò licet etiam quis diceret *Justitiam* Divinam quæ est homi-
num erga Deum esse definitam. Indè tamen non sequitur E. Defi-
nita est Divina, quæ est Dei erga homines. (2.) Quia genus proxi-
mum omisum est, quod tamen adeò præcise non requiritur, quando
remotum aliquod genus receptum est: sic Aristoteles 5. *Eth. c. 1.*
Justitiam non per *Virtutem* tanquàm genus proximum d. εἴη s. ha-
bitum definit. (3.) Quia ratione actus nonnunquam interrumpi-
tur *Justitia*, homo enim in die cadit septies Proverb. Salom. c. 24.
vers. 16. verùm cum *Justitia* non sit actus constans, sed tantùm firma
μεγαίρεσις seu firmum decretum seu firmum propositum voluntarium
inde ea, quæ de *Voluntate* dicuntur ad actus frustra applicantur. (4.)
Constat has proprietates constans unicuivis *Virtuti* deberi. Sed non
in eodem gradu unicuivis *Virtuti* debentur. Nec obstat (5.) in hac
definitione tantùm *suum cuiq;* tribuere omisum reliquis præceptis esse
expressum cum hoc præceptum hic adeò latè sumatur ut etiam reli-
qua duo sub se comprehendat. Secunda 2dæ p. *Sum. Sac. Theol:*
Thom. Aquin. q. 58. a. 1. Dom. Bann. super secund. 2dæ q. 58. a. 1.

IV. Finis nostri *Juris* est *Justitia Universalis* quia *Leges* teste
Aristotele l. 5. *Ethic. c. 3.* de omnibus *Virtutibus* & vitiis præcipiant
hæc

hæc vetando, illas jubendo. Sic Urbanitas præcipitur in *l. 3. d. Serv. Corrupt. l. 3. §. 2. d. O. & A. verecundia in l. 1. §. 5. d. postul: gravitas l. 2. §. 31. d. O. I. Veracitas l. 6. §. 1. d. Off. Præs. Sobrietas in l. ult. d. alim. vel cib. legat: Castitas in l. 5. ubi Pup. ed. de l. 5. C. Ad. SC. Orfic: Beneficentia in l. 7. d. Serv. Export: Gratus beneficiiq; memor affectus in l. 10. C. d. Nat. Lib: Perseverantia & Diligentia l. 6. in f. d. N. G. §. 17. §. 3. Commod. vel cont: in genere verò de Virtutibus agit N. 69. Nec obstat Philosophos agere de hac Justitia Universali, quia *modus à re ipsa* distinguendus est. Philosophia prolixior est, ac opinionum magis plena; Lex brevior & certior. Illa persuadet ratione & discursu, hæc cogit manu & minis. Et hæc Justitia adedò justa est ut ad alterum & ad habentem eam referatur. Ad alterum *πρώτως*, ad habentem *δευτέρως*. Ungepaar *Ex. 1. q. 10.* Universali contradistinguitur Particularis quæ dividitur in Distributivam & Commutativam, quas Aristoteles proportionum usu distinguit, dissentit ab eo H. Grot: *de I. B. §. P. L. 1. c. 1. §. 8.* Distributivam à Commutativâ non per se tali proportionum usu sed materia circa quam versatur, distinguere statuens, prò Arist. vid. Hahn. *in O. th. pr. ad Wesenb. part. 1. p. 607. & seq:**

V. Jurisprudentiam laciniam Politicæ esse *Zab. lib. d. nat. Scient. Const. c. 33. Piccolom. Phil. mor. 5. c. 38.* vel mediam quandam inter Consultativam & Nomotheticam ceu Hermaphroditum fingunt *Chr. Ehem. 2. d. princ. jur. c. 5.* quia ut *d. l. 2. c. 4.* ait: *Architectonica totius Civitatis incolumitatem respiciens sola imperat & veluti peritissima navis gubernatrix puppi insidens manu clavum tenet, & quid agendum quid omittendum sit, præscribit; Atq; sic eadem non in actione quâdam occupatur, sed media ad agendum ut architectus ordinat & præscribit, his præmissis Jurisprudentiam ab hac Facultate excludit.* Sed hæc quæ de *Architectonica* dicta, etiam dicuntur de *Lege l. 2. ff. d. Leg. SC. & long. Consu:* De Jurisprudentia quoque dicitur ejus finis Felicitas seu beatitudo Romani Imperii *l. 8. in fin. C. d. Legib.* At tantum felicitatis unicuique etiam Reipub. contingit, quantum Virtutis & Prudentiæ; Sed introducere felicitatem non est prudentiæ judicialis tantum, sed etiam Legislatricis & Consultativæ *Arist. 6. Eth. Nic. 8.* Inde sequitur. Si felicitas & beatitudo R. I. Jurisprudentia debet obtineri, oportere eam non tantum

A 2

judi-

judicare sed quoque consultare & Leges condere: plures rationes habet *Valent. Riem. in Dec. 1. q. 1.*

VI. Anton. Matthæus *Disp. 12. §. 4.* sibi non constat dicens ita Philosophiam à Cicerone, ut ab Ulpian: descripta Jurisprudencia, describi; cum tamen nullus Philosophorum per justii & injusti scientiam Philosophiam definiverit, quia hæc verba faciunt ut Definitio Definito respondeat, & modus considerandi res Divinas & humanas in Jurisprudencia innotescat, ac ut sciamus an in iis, aut ad eas, ac quatenus aliquod Jus habeamus. *Bach: in Comm: j. ad §. 1. d. 7. §. 7. ad πρωτα π. p. 15.*

VII. Principia Juris sunt duplicia aut extraordinaria qualia sunt quæ ab aliis disciplinis Historia Medicina Physica &c. &c. desumit; Aut Ordinaria *l. 10. §. 2. ff. d. 7. §. 7.* quæ desumit Jurisprudencia ex communibus hominum animis insitis notionibus ad justum faciendum, injustum verò fugiendum. Ex his principiis ordinariis seu domesticis pro diversitate objecti diversa nascuntur capita Juris Naturalis. Sic *suum cuique tribuere* præcipit *cultum unius Dei* & prohibet *Idololatriam perjuriam Atheismum* &c. respectu hominis *reverentiam* in parentes, *fidem & officia* jubet, *homicidium adulterium, furtum* & alia probra prohibet. Et hoc est quod urget Seldenus *d. Jur. N. juxta D. Ebr. l. 1. c. 4. §. seqq.* Juris Naturalis naturam & obligationem non ex actibus seu instinctibus naturalibus arcessendam: neque ex plurium Gentium moribus, neque ex nudò & Philosophicò rationis usu vi obligationis destituto, sed ex divina justii & Honesti promulgatione esse quærendam.

VIII. Personat quidem ubique esse principia juris & ex iis certas quoque conclusiones colligi, sed quænam illæ conclusiones sint, immane quantum, sicut de gustu solemus, dissident. Et tanta in rebus quæ honestæ quæque justæ sunt dissensio ut Lege tantummodò haud naturali ratione constare videantur Aristoteli *1. ad Nicom. 1.* Zenoni & Chrysippo concubitus maternus licitus habebatur Sixtus Empiricus Pyrrhon: *hypotypos. l. 3. c. 24. §. 25. & advers. Mathem. l. 10.* Epiphanius *in Comp: d. Fid. Cath:* Theodoro Philosopho Furtum Adulterium, Sacrilegium Diogenes Laërt: *in vitâ Aristippi.* Hesy chius *d. Illustr. Vit. in Theod:* Epiphanius *in Com. de fide Cathol.* Diagoras Atheus Deorum cultum sustulit. *Perse* apud quos *Zoroastris* dogma obti-

obtinuit statuerunt principium duplex boni & mali & sic quoque du-
 plicem cultum. *Ægyptii* exceptis *Thebaidos* incolis Cultum unius
 Dei in Deos transfulere. *Afri* cultum Deo debitum Soli Lunæ Stellis,
 & *Romani* Romulo Augusto &c.&c. tribuerunt. *Calecutenses* malos
 Spiritus colunt. *Japonii* Dæmoni Fana exstruunt. *Mexicani* in In-
 dia Occidentali bona temporalia petunt à Dæmone. *Asino* aspidi, Bu-
 fonibus aliisque bestiis & insectis varias Gentes divinum cultum tri-
 buisse docet V. Alberti Disp. d. Cult. Id. Best: *Tapuia* s. *Tapajones* ho-
 spitibus arctissimam Uxorum familiaritatem averfantibus indignantur
 sicut id ipsum *Vossius* de Theolog. Gentil. l. 1. c. 8. docet ex *Arcis-*
sevskio & id quod de idololatria dictum ex *Ludovico Vartamanno*
Patricio Rom: lib. 5. d. navig. c. 8. & Acosta l. 5. Rer. Amer. c. 27.
 Imò in I. C. R. cum (1) principio honestè vivere videtur pugnare
t. 1. ff. & C. d. Concubin: (2.) Alterum non ledere repugnare vide-
 tur (1.) l. 16. § 4. ff. d. min. l. 22. § 3. ff. Locat: nec non *αὐτοχρησία* per-
 missa l. 9. § 7. ff. d. pecul: Cum (3.) *Suum cuique tribuere* pugnat
 l. 14. § 14. ff. d. Relig. & *Sumpt. fun:* quæ pœnam non tribuit o-
 mnibus delictis: deinde l. 1. § 1. ff. d. Aleator. *Suum* non tribuit
Aleatorum hospiti *Dicta* tamen omnia principia & conclusio-
 nes ex iis deductas nequaquam tollunt, nam dulcedo non perit
 febricitantis iudiciò, sic nec principio nec inde Conclusioni de-
 ductæ aliquid derogatur corruptò argumentantis iudicio. Inde fit
 ut ex uno principio is qui dictamen rectæ rationis sequitur optime
 colligat, alter autem qui erroneis præconceptis opinionibus instru-
 ctus est pessimè argumentetur: Sic *Pythagoras* optime de commu-
 nione rerum statuit neque omnium rerum sed earum quæ honestè fieri
 possunt, asseruit, circa quam tamen *Plato* *Pythagoriscans* pessimè er-
 ravit. Et huic perverso quorundam iudicio non adminiculatur per-
 versi. *Gentium mores*, qui capita I. N. quædam in suam redegerunt
 observantiam. Imò inter conclusiones I. C. R. & principia est sal-
 tem apparens contradictio, revera nulla datur pugna quia cum imò
 principio non pugnat *Concubinatus* qui est *Conjugium* aliquod in-
 æquale l. 3. vers. quod si alterutram C. d. nat. Lib. c. 4. dist. 34. nec
 quicquam honestati repugnans continere videtur *Tabor partit. Elem.*
Principio 2do non obstant l. 16. § 4. ff. d. Min. l. 22. § 3. ff. Locat:
 quia ibi circumventio non fraudulenta sed prudentia æconomica in-

negotiationibus intelligitur Bald. in l. 2. C. d. Resc. Vend. Frank. lib. 3. Resol. 2. n. 1. 2. 3. Nec approbatur ἀποχρησία l. 9. §. 7. ff. d. pecul. quia in hac lege non agitur de facultate morali, sed de effectu quodam civili an I. C. ἀποχρησία hunc effectum producat ut peculium minuatur? & ultra hunc effectum neque ratio neque decisio Legis extendi debent; Cum ex aliis juris textibus constet eò ipsò nequaquam approbari ἀποχρησίαν l. 33. §. 3. ff. d. Edil. Edict. l. 6. §. 7. ff. d. Re milit. l. 3. in pr. d. bon. e. qu. ant. sent. Neque 3tio principio obstant d. l. 14. §. 14. cum illud quædam delicta nullam constitutam poenam habere verum sit de poena speciali non generali. Ad l. 1. §. 1. d. Al. Respondetur ex l. 203. d. R. I.

IX. Licet I. N. caput de cultu unius Dei sit intricatissimum, id tamen ex lumine rationis cognosci posse docet H. Grot. d. verit. Relig. Christ. c. 1. Cognoverunt quoque hanc unitatem emunctioris naris Gentiles Orpheus, Homerus Sophocles. Ex Philosophis Pythagoras, Socrates, Plato, Thales Milesius, Anaximander, Anaximenes Cicero & Seneca. Tertull. in lib. 2. Apologet. ad Nat. Just. Martyr. in Cohort. ad Græcos. Lactant. l. 2. d. Orig. Err. c. 3. Reliqua I. N. capita tum in committendo tum in omittendo proximum respicientia facilius ex principiis erui possunt, cum eorum examen in perpetuâ convenientia aut disconvenientia cum naturâ rationali Sociali consistat. Modus probandi omnia I. N. capita triplex occurrit. Imus per Decalogum qui pariter ac I. N. pietatem in Deum, & Justitiam in proximum continet H. Grot. d. I. B. l. 2. c. 20. n. 45. & seqq. Joh. Selden. d. I. N. juxt. discipl. Ebræorum l. 7. c. 2. 2dus ex Sociali hominis natura & iudicio rectæ rationis, cum naturâ humanâ convenientiam aut repugnantiam designante Grot. d. I. B. & P. in Prolegom. lib. 1. c. 1. n. 10. eod. Sam. Pufend. d. Elem. Jurisprud. Univers. l. 1. Def. 13. n. 14. 3tius ut id pro I. N. habeatur quod apud omnes Gentes servatur, sed hunc modum probandi periculosissimum esse existimo, quia apud multas Gentes mores contra I. N. receptos potius, quàm vera I. N. capita reperire licet.

X. Hæc I. N. capita constituunt I. N. hominis proprium, à quo I. N. cum brutis commune non re sed modo differt, inde & hoc est I. N. propriè sic dictum & definitur à M. Aurelio Galv. d. Usufr. c. 5. §. 7. per Regulam Dei omnipotentis Dirigentis Actiones Creaturarum
ad

ad finem & bonum sibi conveniens. Fortun. Garz. in l. 1. §. 3. d. 7. & 7.
 Coraf. d. Jur. Art. p. 2. c. 3. Rævard: 1. Var. c. 1. Greg. Lopez lib.
 fing. Adnimadv. c. 2. Loriott: d. Jur. Art. tract. 10. ax. 10. Alber.
 Gentil: l. 3. Epist. c. 1. Thom. 2. 2. q. 93. Ungepaur Ex. 2. q. 1. Ludw.
 Disp. 1. 8. Strauch Disfert. 1. 8. 4. Hauserunt id ipsum ex Stoicorum
 Sapiaentia, cum *Cleanthes* tradidisset, vivendum esse *secundum natu-*
ram communem, de quò *Diogenes in Zenone*, successit *Chrysippus*,
 qui extendens monitum *Cleanthis* adjecit vivendum esse *secundum*
naturam non solum *communem* sed etiam *propriam & humanam* l. 2.
 ff. d. Legib: quò respexit Cic. l. 1. off. dicens, sic esse faciendum ut
 contra universam naturam i. e. *communem* nihil contendamus, & ea
 tamen conservata *propriam* i. e. *humanam* sequamur. Dubia quæ
 pro contraria sententiâ moventur facile removentur: quia (1.) dictum
 Cic. Lib. 1. d. Legib: I. N. esse rationem: intelligendum est de *jure*
 quod nunquam sine ratione est, non vero de subjectis *Jure Directis*
 Thom. in 1. 2da q. 97. a. 3. Imperium Sapiens & prudens debet esse,
 sed obedientia potest esse cæca Cic. l. 1. d. Legib: cui non adversatur
 homines cum ratione jus suscipere, cum quoad hoc homines à brutis
 tantum regendi modo non v. *jure* distinguantur. Nec obstat (2.) Nul-
 lam Societatem cum brutis esse, quia cessante Societate politicâ non
 statim cessat naturalis communio cujus meminit Senec. epist. 96. Cui
 non contradicit Arist. l. 5. Eth. c. 10. qui de communione civili lo-
 quitur. Nec obstat (3.) I. N. esse partem *Juris privati* l. 1. §. *hujus vers.*
privatum d. 7. §. 7. cum J. N. proprie non sit pars sed principium
 proximum è quò deducitur legitimum seu Civile Jus privatum. Nec
 (4.) quia injuria non cadit in bruta l. 1. §. 1. si quadr. paup. se. dic.
 l. Sed etsi §. D. Ad L. Aquil. Senec. l. 2. d. Irâ c. 26. Er. neque jus.
 Hanc consecutionem falsam esse docet Philosophus lib. Categ. c. 11. §.
 3. 4. Cic. 1. d. Nat. Deor. Nec obstat (5.) Fines juris esse justum & uti-
 le, cum justum s. *Justitia* sit finis *Juris humani*; Sed utile non exclu-
 ditur à conservatione omnium specierum, quam intendit I. N. com-
 mune. Nec (6.) quia omne jus hominum causa constitutum l. 2. d.
 Stat. Hom. ubi non de omni sed eò quò usus est P. R. loquitur quod
 patet ex l. 1. ff. eod. Nec (6.) quia brutorum actus moraliter non sunt
 boni C. Horn. Phil. Mor. 2. §. 4. Etsi enim hoc bonum non recte vo-
 cetur morale vocatur tamen recte legitimum, quod ex dirigente, a Fi-
 bus dirigendis & sine quo fit directio æstimatur.

XI. Inde tale elicitur I. N. quod est principium activum dirigens eque brutorum & Rationalium actus non tamen eodem utrosque modo; Brutorum quidem per modum inclinationis naturalis, imposita necessitate parendi citra cognitionem & iudicium ad conservationem specierum tanquam Societatis communis. Rationalium per modum obligationis salva subiecti dirigendi libertate obsequendi. Hoc Jus quia omnium hominum & Gentium proprium est vocatur Jus Gentium §. Singulorum ii. j. d. R. D. §. venditæ 41. eod. l. 1. §. ult. ff. d. 7. §. 7. non ad significandum multiplex Jus Gentium, nec asserendum aliud primævum aliud secundarium; sed appositivè ad declarandam antiquitatem unius J. G. Causa receptæ distinctionis fuit falsa perivasio Sacris literis & Rationi adversa de communione & Servitute contra naturam introducta, cum tamen altera merum Poëtarum figmentum altera verò non contra naturalem rationem sed contra primam Naturæ humanæ conditionem & intentionem sit introducta. Sed inde non nascitur duplex jus de quò Mins. ad §. 1. j. t. 2. cum & in l. 1. §. ult. ff. d. 7. §. 7. per naturalem rationem non intelligatur Ratio simplex pura seu mera sine ulla necessitatis vel utilitatis humanæ mixturâ. Bronch. cent. 1. ass. 3. évav]. Ungep. Ex. 2. q. 2.

XII. Jus Civile Spuriæ Opinionis & Placiti Summæ Potestatis circa quosvis actus absolutè filiam dicere absurdum est. Eò enim modò posset ad Jus Civile referri belluinum Agrippinæ iudicium Tacit. 14. Ann. Consiliariorum Cambyfis Herod. l. 3. Imò tum quoque Jus Civile statuere posset Virtutes nihil aliud nisi inania hominum superstitiosorum esse terculamenta, imò Atheismum perjuriam adulteria & omnia facinora approbare valeret, quare distinctione hæc controversia est expedienda, aut Jus Civile adistit brachio suo præcipienti s. prohibenti I. N. quò casu cesat liberum Principis placitum; aut disponit circa actus indifferentes neque præceptos neque prohibitos I. N. quorum dispositio ex merò placitò Principis pendet quo casu placitum locum habet Fr. Svaretz lib. 7. d. Legib. & Legislat. c. 12. n. 18. & 19. Hacque dispositione Princeps solutus semperque superior est l. apud eum 14. §. 1. d. man. vind. l. omnibus 19. C. d. Testam. Ferdinand. Vasq. l. 3. d. Succ. Cre. §. 26. n. 1. & 8. Nam si nec Prætor semetipsum cogere potest qui tamen non habet Majestatem l. ille à quò 15. §. 4. Ad SC. Treb. multo minus hoc de Principe asseri potest.

XIII.

XIII. Jus Civile Romanum non ratione consensus expressi sed ratione exarationis literarum dividitur in *scriptum & non scriptum* §. 3. j. d. J. N. G. & C. l. 6. §. 1. d. J. & J. *Scriptum* est quod publica auctoritate sancitum in Scripturam redactum est. Ejus 1. Species dicitur esse *Lex* quæ generaliter omne Jus scriptum l. 1. & 2. d. Legib. & non scriptum arg. l. 31. ff. eod. sed in specie quam P. R. Senatorio Magistratu interrogante constituebat significat §. 4. j. d. J. N. G. & C. 2da *Plebiscitum* quod plebs plebejo magistratu interrogante constituit d. §. & t. j. quod Legibus Horatia Publilia & Hortensia ad universum extendebatur populum quoad obligationem Giph. ad d. 4. §. 3tia *SCtum* quod Senatus in liberâ Rep: ex tacitâ populi concessione & sub Monarchia ex conniventia Principum constituit §. 5. eod. l. 2. §. 9. ff. d. O. I. l. 9. ff. d. LL. l. 1. ff. d. Reb. eor. qui sub tut. l. 18. C. d. LL. 4ta *Placitum* s. constitutio Principis quæ Principi animo concedendæ Legis placuit t. t. ff. d. Constit. Pr. Dividitur ratione forme in *Rescriptum Decretum & Edictum*, ratione objecti in *personalem & generalem* Don. 1. com. 9. 5ta Magistratum Edictum Prætorum nempe *Ædilium & aliorum jus dicentium* §. 7. j. d. J. N. G. & C. l. 2. §. 34. ff. d. O. I. 6ta *Sententiæ & opiniones eorum quibus permisum erat de jure respondere* l. 2. §. f. d. O. I.

XIV. *Edicta sine Die & Consule* Authoritate carere ait l. 1. C. Th. d. *Constitutionibus Principum & Edict:* hæc lex repetitur in l. 4. C. Just. d. *Divers. Rescript. & Pragm. Sanct.* Sed in eâ triplex interpolationis facinus notatur (1.) est in *inscriptione* quia Imp. Constantinus scripsit ad Lusitanos. Cod. Just. habet ad Lyfitanos, quod factum facinoris vel criminis nomen non meretur, cum & nonnulli Codices præferant ad Basum P. P. (2.) in *Constitutione*, nam in C. Th. dicitur: *Si qua posthac Edicta s. Constitutiones* in C. Just: substituitur alius sensus, verbis: *Si qua beneficia personalia* ubi Tribonianus hanc Constantini Legem quæ est de Edictis seu Constitutionibus generalibus, ad beneficia nominatim personalia seu ad Rescripta gratiæ certis specialiter concessa personis, Codici non inserta, interpolatione sua retulit, eamque adeò alium in titulum puta tit. de *Div. Rescript.* conjecit. Sed nec hoc facinoris nomine venit quia & in Cod. Theod: Constitutiones nonnullæ relatæ extant quæ Die & Consule carent uti *L. un. d. Perfectissimatus Dignitate*, inde Tribonianus id quoque propter varias *Constitutiones sine Die & Consule* in Codicem suum

B

transla-

translatas quæ nihilominus valent fecisse videtur. Hac Constitutione etiam nititur Consuetudo Notariorum, qui plerumque nihil præter stylum Curia & solennia instrumentorum scientes, omnibus actibus & negotiis privatis pactis Testamentis depositionibus testimoniis ad perpetuam rei memoriam &c. Diem & Consulem præmittunt quæ consuetudo ut rationabilis, ut falsitas falso temporis seu datæ characterismo detegatur, servari optimo, potest jure. Sed hoc *ἐπιπαρέγγυα* adjecimus. (3.) Quia in C. Th. Sabaria Pannoniæ Urbs exprimitur, sed in subscriptione C. Just. substituitur Samaria. Sed hoc facile veniam merebitur.

XV. Constitutiones Principum nec ignorare nec dissimulare est permisum *l. 12. C. Just. d. Jur. & Fact. Ignor.* In hac Lege Tribonianus quinque voces priores: *Perpensas Severitatis Nostræ longâ deliberatione* quæ reperiuntur in *l. 2. C. Th. d. Const. Pr. & Ed. recidit. & l. seq. 3. C. Th. d. t.* quæ vult ut constituta non prioribus calumniam faciant, sed futuris regulam imponant prorsus omittit, quia in hanc sententiam alias Leges citavit *l. 7. C. Just. d. Legib. l. Divæ memoriæ pen. in f. C. Just. d. Decur.* Omisit quoque Tribonianus *l. seq. 4. C. Th. d. t.* quæ præcipit generale beneficio speciali esse anteferendum. Suspecta fortè hæc sententia Legis Triboniano visa est, occurrunt enim privilegia juraque singularia quam plurima quæ generale præceptum infringunt, sæpe etiam privilegia personalia à præcepto generali aliquem eximunt. Sed beneficii specialis appellatione hic non intelligitur quodlibet privilegium adversus Leges ex clementia vel odio Principis proficiscens §. *Sed & j. d. J. N. G. & C.* verùm *κρυβίως* privilegium Immunitatis à tributis quò sensu pariter in *l. 9. d. Iustrali collat.* dicitur beneficium quibusdam datum plebis injuriam esse. Hujus l. speciem aptare licet ad privilegia quæ nonnulli Hæreticorum adversus generalia præcepta à Principibus sæpe impetrant, quæ beneficia non valere jusfit Theod. M. in *l. 6. 14. 16. d. Heret.* ut dicitur in *l. 25. eo l.* omnibus commune damnum esse debet, quibus est communis Religionis furor.

XVI. *L. 1. C. Th. d. div. Rescript.* ait *Rescripta contra jus non valere, quocumq; modo fuerint impetrata, quod enim publica jura præscribunt magis sequi judices debent.* Licet ea à Cod. Just. absint, eadem tamen sententia in *l. 3. & 7. C. Just. d. prec. Imp. off.* occurrit. Absint quoque *l. 2. C. Th. eod.* quæ statuit *Rescripta quibus usi non fuerint*

fuerint qui in fata concedunt, heredes posse allegare, ut congruè im-
petrata successoribus emolumenta conquirantur. Cum hac convenit
l. ult. C. Th. eod. Nulli habetur ambiguum etiam ab heredibus & prò
heredibus, posse Rescripta nostri Numinis allegari: nec excludi tem-
poribus, nec aboleri casibus impetratum. Quæ pariter à C. Just. abest.
 Est autem hæc lex pars prolixioris Constitutionis Honorianæ super
 Rescripto nominatim de jure liberorum, cujus adhuc tria fragmen-
 ta supersunt nempe *lex ult. C. Th. d. Jur. lib. l. 6. d. inoff. Test. § l. 19.*
d. Testam: quibus hæc quoqve adjicienda est. Ex hisce sequens facti
 species eruitur: Catulinus V. C. uxorqve ejus cum liberos non ha-
 berent, atqve adeò jus solidum capiendi ex Testamentis eorum inter
 se jure antiquo ex Lege Julia Pappia Poppæa velut orbi non haberent,
 precibus ab Honorio Imp. Jus communium liberorum postulârunt,
 mox & Rescripto ejus impetrarunt, quò scil. solidum inter se capere
 possent. Mortuâ Catulini Uxore; Catalinus aliquandiu superstes
 Rescriptum illud in judicio non allegaverat moxqve deceserat, Suc-
 cesori ejus id non obesse constituit Honorius. Decisio continetur in
l. ult. de jur. Lib. Ratio decisionis in hac lege: Applicatio l. 19. d. Te-
stam. Limitatio in l. 6. d. In Offic. Testam. Præterea absunt à C. Just.
l. 5. Multabuntur Judices qui Rescripta contempserint aut distule-
rint § l. 10. Rescripta ad Consultationem emissa vel emittenda in
futurum iis tantum negotiis opitulentur quibus effusa docebuntur.
 Quod propter varias Exceptiones quibus his Legibus non est locus fa-
 ctum esse probabiliter præsumi potest.

XVII. De Precum Principi oblatarum vi & effectu ad perpetuan-
 dam Actionem ait *l. 8. C. Theod. d. Divers. Rescript. Dubium non est*
Contestationem intelligi etiamsi nostræ fuerint Tranquillitati preces
oblatae, easq; adversus heredem quodq; ejus in quem porrectæ sunt, vel
ab herede ejus qui meruerit exerceri. Nam sicut ex causis numerosis
etiam hæc Actio transmittitur ad heredem quæ Testatori competiisse
monstratur sic & è diverso, juris definitione, Consultorū omnium con-
sonâ responsione firmatur. Ab herede Actionem non incipere, quæ non
competierit Testatori. Notat J. Gothof. exemplum ἀλεψίας & osci-
tantiaæ hujus Codicis conditorum qui verba relativa etiam hæc Actio
ad integram Constitutionem unde hæc lex desumpta est, hic retinue-
runt. Et sic liquet hanc l. ab Accursianis & à Baldò nullò modò intel-
lectam qui eam ipsam sententiam quæ est l. 2. § f. d. affingunt atqve
adeo in specie hujus Legis Rescriptum emanasse perperam putant. Et

sic preces non tantum oblatas sed & obtentas ut Oldr. & Alber. hic. Est enim hæc Lex non de vi Rescripti, verum de vi & potestate libelli tantum Principi oblatis quod satis clarè ipse Titulus Codicis Justinian. ostendit sub quò nempe in *l. 1. C. Just.* Quando libellus Principi datus *L. C.* faciat hæc *l. repetitur*, licet non integra ressecatâ regulâ finali, *Ab herede videl. Actionem incipere quæ non competierit testatori*, quam tamen non ut vulgò traditur Just. improbavit, sed rejicit eam saltem respectu stipulationum cæterarumque causarum post mortem conceptarum *l. 36. §. 1. ff. ad L. Falcid. l. un. C. Just.* Ut Actiones ab hered. attamen ex dictis satis constat non de effectu Rescripti sed libelli oblatis agi.

XVIII. Mandatorum principalium duo sunt genera, unum eorum quæ Magistratibus S. Rectoribus Provinciarum in Provincias proficiscentibus à Principe dabantur, quibus ea omnia quæ muneris eorum officiique erant continebantur Brisson. *l. 3. form. N. 17. Just.* Alterum genus est extraordinarium, quod videl. necessitate aliqua vel occasione publicâ extraordinem urgente de palatio ab Imp. in Provincias missis vel Legatis dabantur Am. Marcell. *lib. 15. de hac ait l. un. C. Th. l. ἔπις ἐν οἰωδηποτε σεκρέτω 18. libb. βασιλιν.* de Princ. & prec. princ. oblat. & Rescr. eor. & *l. 1. C. Just. d. mand. Princ.* Nulli debere credi, qui secreto sibi aliquid dicit à Principe mandatum esse nisi quod scriptis probaverit. Post mandata Principum agitur in Tit. seq. *C. Theod. in l. un. d. Responsis Prudentum* quæ docet quæ scripta Jurisprudendum in judiciis proferri legi allegari & ad decisionem causarum suo ævo recitari possent, propterea jubet ut Papiniani Pauli Caji Ulpiani Scævola, Sabini, Juliani atque Marcelli si fuerint diversæ prolatae sententiæ ubi major numerus unum senserit, vincat. Quod si forsitan æqualis numerus in utraq; parte est, ejus partis præcedat authoritas, in qua Papinianus cum æquali numero senserit, quia ut singulos Papinianus vincit ita & cedit duobus. Scævola Sabini Julianus atque Marcellus in suis corporibus non inveniuntur, sed in Præfatorum opere tenentur inserti. Hos JCTos in epist. ad Antecess. *§. 1. & l. 2. §. 13. C. d. V. I. E.* memorat & responsa prudentum. *§. 8. j. d. J. N. G. & C.* confirmat, ut judici ab iis recedere non liceret hoc addito, ut est constitutum: quanquam in reliquis *l. 2. §. tantam d. V. I. E.* sit abrogata.

XIX.

XIX. Jura constitui oportet ex his quæ ὅτι τὸ πλεῖστον non quæ raro accidunt *l. 3. ff. d. tit. l. 15. libb. βασιλικ. περὶ δικαιοσύνης καὶ νόμου, καὶ μακροῦς συνηθείας.* Oppon. Lex de Insula nata in mari, quamvis raro, accidat §. *Insula 22. j. d. R. D. l. 7. §. Inf. ff. d. A. R. D.* Lex de partu edito ex quinquagenaria muliere, quanquam hoc mirabile sit & raro eveniat *l. Si major 22. C. d. legit. hered: Resp.* Casus raro contingentes dupliciter considerari posse, vel per se, vel per Relationem ad aliquam Legem generalem. Cum igitur dicimus hos casus negligi à Legislatore, ità hoc intelligendum est, non quod nullæ Leges de his condantur: sed quod iis non obstantibus leges generales constituentur. Nec enim moventur Legislatores quo minus eas leges condant, eo quod patiantur Exceptionem, aut videantur per ejusmodi casus raro contingentes subverti *Pac. c. 1. q. 9. d. LL.*

XX. Jus non Scriptum est Consuetudo tantum, ideoque malè dividitur in Consuetudinem & æquitatem quod faciunt Wesenb. *Isagog. j. n. 7.* Bocer. *Clasf. 1. Diss. 1. §. 41.* Connan. *1. Comm. 8. n. 1. §. 6. 10. n. 3.* Est enim æquitas vera interpretatio Juris tum Scripti tum non scripti, & ἐπιανόρθωμα dicitur νόμος Arist. *lib. 5. Eth. Nic. c. pen: non tantum in benigniorem partem, sed & pro facti acerbitate in acerbiorum l. 11. pr. ff. d. pæn. arg. l. 19. ff. d. Off. Presid.* Et quamvis in genere considerata una tantum sit æquitas quæ secundum Vultej. *l. 1. Jurisprud. Rom. c. 1.* est duorum pluriumque inter quos est res aliqua proportio; In specie tamen considerata dividitur non tantum in civilem & naturalem *l. 1. §. 1. Si is qu. Test. lib. esf. jus sus erit l. 1. d. pæn. l. 1. d. min. 25. ann. l. 1. d. pec. const.* sed etiam in Universalem quæ est merum Jus Gentium & Particularem quæ servit Juri Scripto & non Scripto Giph. *in can. d. Divisionib. §. 10.* quia nullus judex jus generale captatis verbis & juxta τὴν ῥηπὴν omnibus casibus singularibus nulla circumstantiarum habita ratione applicare potest, nam scire jus est mentem & sententiam scire *l. scire 17. D. d. LL l. pen. D. Ad Exhib. l. scire 13. §. 2. ff. d. Excus. Tut. l. 4. §. 1. D. Qu. pet. Tut.* Sic in Consuetudine facta quæ loco verborum considerata sunt, & quò ad interpretationem inter eam & Leges nulla est disparitas utpote quæ quò ad effectum cum legibus propriè dictis pari passu ambulant adeò ut hoc modo Consuetudines à similibus ad

similia extendantur *l. 32. ff. d. LL. Brunnem: ad b. l. n. 7. Zas. hic. n. 8.* nam ubi eadem ratio existit, ibi idem dici oportet *l. 13. ff. d. LL. l. illud 32. ff. ad L. Aquil.* Et ratio quæ consuetudinem svasit custodienda est *l. Preses 1. C. quæ sit long. Conso. c. Consuetudo 7. dist. 12.* Consuetudo quoque in aliorum præjudicium vergens *strictè* accipienda est, ita si in Civibus sibi locum vindicet, ut non statim ad alios subditos s. incolas porrigatur. *Mev. Decis. 49. p. 2.* Possunt tamen Consuetudines in odiosis etiam extendi si ex rationis identitate, tam unum quàm alterum casum respiciunt exemplum habet *Brunneman. ad l. quod vero 14. ff. d. Legib. n. 4. & 5.* qui ex hac ratione in odiosis etiam e. g. ut Consuetudo excludens Sororem dotatam ab hereditate paterna ut penes masculinum ejusdem nominis sexum opes conferrentur excludat ex paritate rationis etiam Sororis liberos. Statutum extendendum esse, cum *Baldo & Zasio* comprobatur.

XXI. Qui statutum condere possunt etiam Consuetudinem introducere possunt & tacitus consensus, quò Consuetudo introducitur idem operatur quod expressus quò statutum conditur *l. 3. ff. d. Reb. Cred. l. 48. §. ei qui 3. ff. d. Edict. Schneid. in §. sine scripto n. 3. j. d. J. N. G. & C.* Sic in *l. R. G.* familiæ reperiuntur quæ contra Jus commune statuta condere & Consuetudines introducere valent *Reinking: in tract. d. Regim. Secul. & Eccl. Class. 2. l. 2. c. 10. n. 7.* Idem dicendum de Collegio licito mercatorum Zythopæiorum Fabrorum & similium in his, quæ ad illud Collegium ratione suæ negotiationis vel opificii spectant *l. f. ff. d. Colleg. & Corp. & ad eam Brunnemann: nec confirmatione opus habent, quia ab ipsâ Lege confirmantur d. l. f. d. Colleg. & Corp. Mevius in Com. ad Jus Lub. Lib. 4. Tit. 13. a. 3. n. 36.*

XXII. Inde dicitur in *l. Ergo 40. d. LL.* omne jus aut consensus fecit quod est Jus Civile Scriptum aut necessitas constituit quod est Jus Civili latius patens & improprie *I. G.* dictum quia ita denuo solvi potest uti usu exigente & humanis necessitatibus colligatum aut firmavit Consuetudo quâ etiam continetur Jus Civile quod fluxit ex Interpretatione Prudentum ad *L. XII. Tabb. & fuit non scriptum l. 2. §. his legibus 5. D. d. O. I. & longâ utendi Consuetudine comprobatum l. 32. ff. d. LL.* dum modo versetur circa res honestas possibiles licitas justas, *I. N.* non contrarias & *Reip. utiles. e. g.* Consuetudo
licita

licita est qua filius minimus natus in ædibus defuncti parentis aliis secundum proportionem satisfaciens jus optionis habet & præfertur aliis, respicit enim mortalitatis ordinem, quo parentis memoria magis in hoc quam aliis probabiliter perpetuari potest; Nec iniqua est Consuetudo inter Conjuges communionem bonorum introducens, ita ut Uxor pro marito & vice versa, maritus pro Uxore teneatur, utpote quæ non ex jussu superioris profecta, sed utentium tacitis suffragiis, quare illi qui hac Consuetudine utuntur, ex consensu obligantur, sed consentienti & volenti non fit injuria *l. 75. ff. d. R. I. c. 21. & 33. eod. in. 6.* imo sibi imputabit alterutra partium læsa quod non exactè inquisiverit in ejus conditionem cum quo contraxit, imprimis cum hac Consuetudine etiam fraudibus debitorum occurratur nè mariti suos Creditores sub prætextu bonorum Uxoris fallere & cursum commerciorum sistere queant. *Gail. c. 90. l. 2. n. 1.*

XXIII. Ad Jus non scriptum pleraque potissimum referri queunt singularia antiqua jura quæ recitat Schottelius uti sunt Consuetudo canem sellam vel aratri rotam gestandi de quâ in pr. Jus misogamorum *c. 1.* Jus caduci *c. 3.* Jus cruentationis *c. 3.* Judicium manni it. Feudale. *c. 4.* Jus Principum *c. 5.* Jus Sendicum *c. 6.* Jus Centenæ *c. 7.* Jus Decimarum *c. 8.* Jus municipale *c. 9.* Publica municipalis Pax *c. 10.* Jus Civitatem constituendi *c. 11.* Jus separati districtus *c. 12.* Gœa *c. 13.* Jus necessariæ defensionis *c. 14.* Jus hospitii *c. 15.* Jus hortorum *c. 16.* Jus solidorum *c. 17.* Jus tenendi sed non transmittendi feudi *Schupf Lehn-Recht c. 18.* Jus pensionem de die in diem crescentium *Kunschar-Recht c. 19.* Jus Littorum. *c. 20.* Jus Avariæ. *c. 21.* Jus singulare ex fænore nautico *c. 22.* Jus Assecurationis *c. 23.* Jus Geranii *c. 24.* Jus maritimum *c. 25.* Jus Stapulæ *c. 26.* Judicium hastatum *c. 27.* Jura Ordalii *c. 28.* & Jus Vemicum *c. 29.* Ex his pleraque jura desuetudine sunt extincta multa etiam ut irrationalia abrogata ut Jus Cruentationis Caduci Ordalii cujus species erant vel ignis vel aqua vel Symbolum crucis, vel offa judicialis s. panis, vel caseus exsecratus vel denique duellum.

XXIV. Est quoque irrationalis Consuetudo, quæ res vi aut furto ablatas inque judicium adductas Fisco applicat, quam prohibuit Carol. V. in Constit. a. 207. & art. 218. Item Consuetudo bona naufragorum promiscuè sine ullâ distinctione Dominis eripiens quæ
subla-

sublata per *Auth. Navigia C. d. Furt.* quæ tamen non confundenda
 est cum hac quæ Dominis impensas in res colligendas factas non sol-
 ventibus res mari absorptas denegat. Peck. ad. *d. Auth.* Nec Ratio-
 nem habet Consuetudo Polonorum levisimâ poenâ crimen homici-
 dii multans Bodin. *d. Rep. 5. n. 78. Bach. ad Treutl. vol. 1. Disp. 1. 8.*
9. lit. 6. Irrationabilem quoque esse Consuetudine Gentilium rece-
 ptam doctrinam de multitudine Deorum jam dictum est, de quâ Pa-
 gani hoc est Symmachi ad Valentinianum *l. 10. ep. 54. Si longa et as*
authoritatem Religioni facit servanda est tot seculis fides & sequendi
sunt nobis parentes qui secuti sunt feliciter suos. Et refert Amm.
 Marcellinus *l. 16. 21. p. 205. Julianum memoriam Constantini ut nova-*
toris turbatorisq; priscarum Legum & moris antiquitus recepti
vexasse. Sed eos Lactantius *lib. 2. d. Or. Err.* dicit miseros qui in-
 hærentes communi opinioni cum multitudine errant, suæque stulti-
 tiæ favent, à quibus si persuasionis rationem expetas, nullam possunt
 reddere rationem, sed ad majorum judicia confugiunt, quod illi Sa-
 pientes fuerint, illi probaverint, illi sciverint, quid esset optimum,
 seque ipsos sensibus spoliant, Sapientia se abdicant dum aliis errori-
 bus credunt. Contra hos receptos errores Tertull. *l. 2. ad Nat. cap. 1.*
ait. Adversus hac igitur Nobis negotium est, adversus institutiones
majorum, authoritates receptorum, leges dominantium, argumen-
tationes prudentium adversus Vetustatem Consuetudinem.

XXV. Ad Jus non Scriptum referuntur feuda quæ moribus
 introducta & jam in tota Europa instar universalis Consuetudinis,
 recepta sunt, scripserunt de Consuetudine in genere omnes Dd. ad
ff. Tit. d. LL. & Tit. C. Que sit long. Consv. & in specie ad Consuetu-
dines Britannia. Bertrandus Argentæus. Flandria. Nicolaus Bur-
gundus tract. d. Controv. Burbonia. Johannes Papo. Burgundia.
Barthol. Chasfanæus. Cenamonenses. Gvilielmus de Roville. Gallia.
Imbertus Ruppæus. Lunæburgenses Hardevicus Daselius. Nea-
politana. Prosper Caravita. Andreas Molfesius. Bituricenses. Au-
relianenses. Dionysius Gothofredus. Parisienses. Carolus Moli-
næus. Renatus Choppinus. Pictavienses Petr. Rat. Pictaviensis. Si-
cilia Joseph. Cumia. Brandeburgenses. Joâchimus Schepplitz.
 plures allegat Joh. Bechtold. in loc. comm. sub lit. C. verb. *Con-*
suetudo. Feudorum origo est Feod. i. e. stipendii possessio. Hug. Grot.
sive

in Flor. sparsis ad L.F. p. 340. vel à Germanico Sùden quod est pascere sive alere, quia prædia feudalia ad hoc dantur Vasallis ut inde se familiam & equos sustentent ut tempore necessitatis parati esse ad servitia præstanda possint. Germanica vox *Lehn* descendit à *Leihen* quò significatur concessio rei ad usum aliquem *Rittersh. l. 1. part. Feud. c. 1. p. 39.* Rei origo derivatur à Longobardis qui Germani Saxonesqve fuerunt *2. F. 58.* Alia sunt *Regalia* e.g. *Sahn* item *Scepter* & *Lehn* alia non *Regalia* quæ sub dividuntur in *Nobilia* & *Burgensia*. Dividuntur etiam ratione *Objecti* in *Ecclesiastica Krumstäbisch Lehn* & *Laica*, quæ rebus non Ecclesiasticis constituuntur. Feudorum natura est ut *Dominium* utile transeat ad accipientem, directum vero maneat penes dantem. *2. F. 23.* Hanc naturam non habere feuda quæ dicuntur *Sonnen Lehn* *Phil. Andr. Oldenburgerus tract. d. IV. Elem. Jurid. Tit. 5. §. 32.* Sed hæc feuda sunt irregularia quæ feudorum propriè sic dictorum naturam non mutant. De alienatione, oppignoratione, Successione & controversiis Feudi agit eruditiss. tract. *Struv. D. F. XIII. & seqq.*

XXVI. *Jus Canonicum* vocatur Jus illud positivum quod à Summis Pontificibus constitutum vel approbatum est, inde & ab Authore suo nempe summo Pontifice à quò vim & auctoritatem habet dicitur Pontificium, & distinguitur à Jure Civili tum ratione causæ Efficientis, tum ratione universalitatis, tum ratione finis, quem respicit. Jus Civile à Summa potestate Seculari constituitur unius Civitatis aut populi causa ac finem merè civilem nempe vitam Civium talem, quæ naturali rationi sit conformis intendit, Jus vero Canonicum à potestate merè spirituali quæ tanto temporali dignior est, quanto spiritualia corporalibus digniora sunt, constituitur finemq; merè spirituales, æternam nempe beatitudinem principaliter intendit. *Andreae Vallensis Paratit. X. Pr. §. 7.*

XXVII. *Necessitas Juris Canonici, ex fine* deducitur, quod duæ sunt in genere *Respub. sine distinctæ altera politica* habens finem *Politicum* s. civilem felicitatem Civium, seu juxt. *Cic. lib. 1. d. Orat.* *Justitiæ in humanâ Societate conservationem*, altera verò *Ecclesiastica* quæ ut tota *spiritualis* est finem quoque *spirituales* intendit, ac proinde necesse est aliud esse Jus Civile quo *Resp. Civilis* & aliud

C

& aliud

& aliud Canonicum quò Resp. Ecclesiastica regatur adque suum finem perducatur Utrumque jus in forò suo retinendum est nisi Jus Civile peccatum aliquod (ut canonibus videtur) foveat, ut sunt Leges permittentes usuras, præscriptionem cum malâ fide &c. quibus casibus ad Jus Canonicum recurritur explosò J. C. etiam quoad forum suum per text. in c. fin. *¶. d. Præscript. Saly. ad l. Privilegia 12. C. d. SS. Eccles.*

XXVIII. Constat hoc Jus pari modo aut *Scripto* aut *sine scripto*. Quæ ad *Jus scriptum* pertinent ea desumpta sunt vel ex Jure Divinò vel ex placitis Principum vel ex sententiis Patrum, vel ex Constitutionibus ecclesiasticis quæ dividi solent in Statuta Conciliorum & Decreta Pontificum. Illa subdividuntur in universalia Provincialia & Episcopalia. Wolffgang. Sigismund: à Vorburg *in aur. rudim. & paratit. Jur. Univers. Can. T. 3.* Barthol. Caranzæ *Summa Conciliorum*.

XXIX. *Jus non scriptum* Canonicum consistit partim in *traditionibus* sumpto tantum nomine traditionis specialiter, quat. designat doctrinam non scriptam, partim in *Consuetudine* specialiter sumpta. *Traditione* constant ea quæ initio solâ voce prolata per manus ad feram pervenerunt posteritatem, licet deinde in scripturam redacta sint ut cum Marthæ. 6. *¶. de celeb. misl. oculorum* elevatio ad exemplum Christi c. ecclesiasticarum dist. II. trina inunctio eorum qui baptizantur. Traditiones quæ cum Sacra Scriptura conveniunt confirmari dicit Henricus Canisius *Sum. Jur. Can. l. 1. t. 3. dictò D. Pauli 2. Thes. 1. & Tertull. d. Coron. milit.*

XXX. Consuetudo vocatur quod in communi sit usu *can. Consuetudo Dist. 1.* ad quam requiritur actus licitus diuturno tempore frequentatus. Sed quamvis utroque jure Præscriptioni sit tempus præfinitum nullum tamen in Consuetudine determinatum. Jure Saxonico requiritur lapsus 31. annorum 6. septimanarum & 3. dierum *Jur. Prov. Sax. L. 1. a. 29.* cum quò convenit Jus Prusici Provinciale in *Prov. Prusici L. 1. t. 33. §. 15. n. 4.* in quò hæc Jura à J. C. differunt *Fachl. d. diff. Jur. C. & Sax. l. 1. diff. 12.*

Chr. Wegn. *Disp. d. Diff. J. C. & Prusf.*
b. 1. in f.

☞) : (O) : (☞)

Kc 3004

ULB Halle

3


003 757 714




Bitte nach Ausleihe an
Frau Richter. 1
Sammelbd. ? oder
Inhaltliche Werte ?

von 125





N. J.
 ATIO II.
TARUM
SIUM
RTI & CON-
VERSI
 d. I. N. G. & C. eisq; ff.
 Libb. βασιλικ. & 
 pondentibus.
 RESIDE
E CHRISTO-
O Volk /
 D. & P. P.
PH. Wegner /
 om. Prusf.
NDENS
 è defendet
RIO MAJORI
 bc. LXXX.
 O MONTI,
 REUSNERI, SER. ELECT.
 TYPOGR. HEREDUM.